

2 Liberalitati in excessu opponitur Prodigalitas, quâ homo in erogandis sumptibus modum excedit.

S C H O L. Græcè dicitur ἀσώτεια, lib. 2. Ethic. cap. 7. quia homo per prodigalitatem ita corrumpitur, ut neque seipsum, neq; bona sua servare possit. Est igitur prodigus, qui sine ratione sumptus facit, dum bona impendit, in quæ non decet, plura quàm decet, & quando non decet. In principibus dicitur ἀπειροκαλία, item βωαυσία, Latine luxus, & opponitur τῇ μεγαλοπρεπείᾳ, i. e. magnificentiæ. Exemplum Prodigalitatis habemus in Esau, qui primogenituram vendebat jusculo è lentibus, Genes. 25. v. ult. Confer Luc. 15. v. 13. Damnatur Prodigalitas Prov. 5. v. 9. De Sixto IV. Pontifice scribit Fulgosius, quòd ad insaniã usque prodigus Ecclesiæ bonis dilapidatis ad extremam paupertatem redactus fuerit, unde versiculus: *Mitra cave, instituit dicere: Sum quod eram.* nempe, qui antea eram pauper, jam iterum sum pauper. Nota est prodigalitas Antonii & Cleopatrx, &c.

3 In defectu opponitur Illiberalitas, quâ homo in sumptibus erogandis ad parum deflectit.

S C H O L. Græcè ἀνελευθερία. Aristotelici Liberalitati opponunt Avaritiam, quod nonnullis ex recentioribus non placet. Hi enim inter Avaritiam & Illiberalitatem distinguunt; avaritiam vitium dicunt, quod homo erga seipsum exercet, quatenus scil. non potest divitiis satiari, & sic opponitur τῇ ἀυταρκείᾳ, diciturque Græcè πλεονεξία. Illiberalitatem verò dicunt vitium, quod homo exercet erga alios, dum nimirum non erogat sumptus ubi opus est, & honestas flagitat, & sic opponitur ἐλευθεριότητι, diciturque Græcè ἀνελευθερία. Et sanè apud Arist. ubi de liberalitate agit, nondum invenio vocem πλεονεξίας, neque φιλαργυρίας, ut recentiorum sententiam amplectendam existimem. Avarus igitur totus est in contrahendo & congerendo divitias; illiberalis verò in parum, vel nihil communicando, qui meritò preminimus,
(parcat